



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 90118286

§. 2. Bulla Pontificis adversus utrumque æmulum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)

Sæcul. XV.
A. C. 1410.

§. II.

*Bulla Pontificis adversus utrumque
suum æmulum.*

Interea Pontifex postrema anni millesimi quadringentesimi noni die felix, faustumque accepit nuntium, Romanam Urbem a Ladislai tyrannide liberatam fuisse. Quare tota Pontificis Curia eundem admonet, ut nulla mora Romam contenderet, Civibus adventum ejus ardentissime præstolantibus. Horum si Papa secutus fuisset consilium, longe melius rebus suis prospexisset, ast instigante Cardinale Balthasare Cossa, a cujus arbitrio totus pendebat, Pistorio Bononiam, ubi Balthasar Legati munereungebatur, profectus, ibidem Bullam promulgat die vigesima secunda Januarii Anno salutis millesimo quadringentesimo decimo datam, qua utriusque Competitoris, eorumque Fautorum condemnatoriam innovabat sententiam. Cossa Cardinalis non alio consilio Pontificem Bononiam abduxit, nisi spe fretus, illum gravi senio confectum, viribus exhaustum
brevi

ficem. In eo enim defuit illa habendi cupiditas, quæ una cum re, & ætate simul accrescit.

brevi supremam diem expleturum; eo autem mortuo se in Papam eligendum fore. Quem in finem nonnullos sibi Cardinales amplitudine promissorum conciliaverat, potissimum pollicitus, se eisdem omnium expensarum, quas Bononiæ hærentes impenderent, compensationem procuraturum.

Sæcul. XV.
A. C. 1410.

§. III.

Alexander a Romanis ad Urbem invitatus.

Cum Pontifex variis artibus ac Balthasari Cossæ prætextibus detentus Bononiæ moraretur, adveniebant Romanorum Oratores, qui Alexandro Urbis Romanæ claves consignabant, flagrantissimum intra suos muros eum honorandi desiderium testificantes. Quibus Pontifex non nisi epistolam decima quinta Martii scriptam tradidit, in qua responsionis loco (*) ad Annum Domini millesimum quadringentesimum decimum

Bzov. an.
1410. n. 2.

Pogg. Brev.
Rom. Pontif.
tom. 2.
p. 504.

(*) Vide Reg. 2. Alex. pag. 66. Et ex eius Epistola conspicies, quod Romanorum desiderium sibi gratissimum fuerit, Et amoris sui, ac studii erga populum Romanum signa Paterno vere affectu expresserit.